

In Luna si quis esset, videret Terram verti.

(nam si quis in altera facie Lunæ nobis invisa vel in superiore ejus hemisphærio constitutus, nunquam Terram conspiceret) is quotidie videret totam superficiem terrestrem 24 horis verti, nos autem semper unicam illam medietatem Lunæ videremus, cum ea non revolvatur in se ipsam, quod fieri necesse esset si se nobis totam ostenderet.

Terra Luna quasi Luna est.

8. Quemadmodum Luna, magna temporis parte supplet defectus lucis Solaris, & reflexione sui luminis, noctes nobis obscuras, dies efficit: Ita Terra refundit lumen ipsi Lunæ, radios Solares reflectendo sicuti diximus *cap. antec. 17*; & quia Terra multo major est Lunâ, sic illuminatio Terræ in Lunam efficacior est, quam Lunæ in Terram.

Unum corpus nonnunquam ab altero, lumine privatur.

9. Ut autem hæc corpora beneficio illuminationis, sic nonnunquam obscurationis, multas vices exercent; cum scil. Luna, Terræ inter se ac Solem interpositione, patitur Eclipsin ac lumine privatur: sic ipsa vicissim interposito suo Terram inter ac Solem, illam hujus lumine privat. Et si frequenter & longiori tempore Lu-

na umbræ Terrenæ totaliter immerfa maneat, nunquam autem tota Terra, nec tam longo spatio temporis obumbratur à Luna, tamen Eclipsin affert Terræ, unumque corpus privat alterum lumine Solis.

10. Est Luna Terraquei globi perpetuus ac individuus comes, nam Terrenus globus perpetuò Lunam cum tota ejus Sphæra secum in Ecliptica circumducit & ut Fœmina Marem sic Luna comitatur Terram, parilatione annuâ circa Solem procedentes; Neque enim aliter ratiocinamur de Luna respectu Terræ, quam de Jovis Satellitibus respectu Jovis; Nam sicut Jupiter 4 habet Satellites vel Socias, sic Terra unam.

Luna est Terraquei Globi perpetua socia.

Differentia autem inter conjugium horum duorum corporum Mundanorum, est, quod non per coitum, sed per effluxus virtuales extra sua corpora in se ipsa agant. Hoc perfectioris itaque est conditionis, quàm terrigenarum, quia ardor eorum corporum non modico tempore excitatur, sed perpetuo aspectu & influxu per omne tempus continuatur.

CAPUT XXII.

De Lunæ Distantia & Magnitudine.

Cum per *cap. antec. 11*, tempus Lunæ distantiae, sive (ut Astronomi vocant) Lunæ Apogæum & Perigæum, sit incertum; & observationes quæ instituuntur quando hæc Astra sunt in Signis Borealibus (tunc enim magis elevata & refractioni aëris minus obnoxia sunt) reddantur perfectiores: communiter etiam tunc temporis inveniatur parallaxis Lunæ 53 minutorum (de secundis enim propter aëris alte-

Communior Parallaxis Luna est 53 minutorum.

rationem, ut videre est *cap. 10. & 11*, non est disputandum) verior hæc est præ cæteris *lib. 1. cap. 21*. commemoratis.

Assumptâ itaque Lunæ Parallaxi 53 min. sequitur Lunæ à centro Terræ distantia 64 semidiam. Terræ. Nam ut se habent partes Radii (*Tabul. scil. Sinuum*) ad semidiametrum Terræ 1, sic se habent partes Secantis 89 gr. 7 (complementi scil. Parallaxis 53) ad distantiam Lunæ. *Exempl. gr.*

Distantiam Luna invenire.

Partes Radii | Semidiam. Terræ | Partes Sec. ang. 89 gr. 7.

10000 (4. ——— 1 (0 ——— 64, 8657 (4.

Luna distat Semidiametros Terræ 64.

Distat itaque Luna à centro Terræ 64, 8 (1 Semidiametros terrestres.

Semidiameter Terræ est 860 miliarium german.

Luna Magnitudinem invenire.

Inventâ autem Lunæ distantiam 64 Semidiam. Terræ, invenitur etiam ipsius Lunæ ad Terram magnitudo ex Lunæ & Terræ Semidiametris, per *cap. 22. lib. 1*: *Exempli grat.*

Distantia Lunæ ex 64 Semidiametris Terrestribus producta, est 55040 miliarium german.

Diameter Lunæ apparens (quæ observari solet instrumento) invenitur qui-